Zu

der öffentlichen Prüfung

aller Klassen des Oelsnischen Gymnasiums

am 25sten und 26sten März 1847

ladet ergebenst ein

der Director und Professor **Dr. Lange.**

Inhalt:

1) De Sophoclis Ajace quid statuendum videretur, breviter exposuit Dr. Kämmerer, III. Gymn. collega.

2) Schulnachrichten.

Oels, 1847. Druck von Adolph Ludwig.

De Sophoclis Ajace

quid statuendum videatur,

breviter exponitur.

Aut prodesse volunt, aut delectare poetae.
Hor. de arte poet. 333.

Mirum videri potest, quod, cum tot virorum doctorum libris Sophoclis fabula, quae est Ajacis nomine inscripta, non sine magna doctrina et insigni ingenii acumine dijudicata sit, ego denuo eandem rem in judicium vocare et, quae esset hujus ratio fabulae, disquirere mihi proposui. Sed cum in omni re, quam penitus perspicere velis, nisi ad originem et quasi fontem descenderis, manca futura sit et parum accurata cognitio nostra, tum neque in veterum scriptis monumentis, si qua est in nobis cogitandi subtilitas, aliorum judicia nobis sufficient, nisi ea cum eo ipso, quod dijudicandum sit, contulerimus atque omni ex parte examinaverimus. Sic non raro fit, ut sententia nostra a virorum doctorum judicio discedat, quae dissensio aut in rerum difficultate, aut in animi humani imbecillitate est posita. Haec reputans perscribere statui, quae de Sophoclis Ajace mihi visa sunt, eaque de causa spero fore, ut, si quibus non idem placuerit, aequos habeam judices.

Sed priusquam ad ipsam rem accedo, monendum mihi videtur, quantum aut angustis temporis finibus impedito, aut librorum penuria laboranti mihi licitum esset, congestis undique, qui in promptu fuere, libris, virorum doctorum sententiis hac de fabula cognoscendis dedisse me operam; plures tamen fuisse libellos, quos arcessere frustra studui; quibus legendis aegre quidem supersedere volui, quamquam, quid sit in his disputatum, ex aliorum virorum verbis, passim ejus mentionem facientibus, quodam modo potui intelligere.

Fabula nostra, quam didascalias sequentes simplici Ajacis nomine significamus, ita a Sophocle est composita, ut duabus ex partibus constet, rerum quidem gestarum ordine inter se cohaerentibus, sed quas ad unum quasi fundamentum et ad communem

sentententiam non facile reducas. Quaecunque autem viri docti excogitaverunt, ut eandem utrique parti a poeta subjectam esse sententiam ostenderent: languidum illud, quod longiori inest disceptationi illi inter Teucrum et Atridas, sustulisse mihi non videntur. Alii eorum subditicium esse fabulae exitum suspicati sunt eamque post Ajacis mortem finiri maluerunt, in his Lobeckius ad v. 862. prioris editionis (in altera editione V. D. aliter videtur judicare) *); alii clausulam illam aut ex antiquis moribus (interdum etiam, ut Tyrwhittius ad Aristot. poet. 10, 4., ineptis rationibus), aut, ex communi quadam fabulae sententia singularum partium cohaerentiam eruentes, defendere studuerunt, et in hoc quidem genere Welckerus **) et Doederleinius ***), quamquam diversa sentientes, multa praeclare disputaverunt. Refutare omnium, qui hac de fabula scripserunt, sententias haud mihi in animo est, quod neque temporis tantum mihi conceditur, quantum ad tanti negotii molem opus est, nec scriptionis hoc loco instituendae esse tantus circuitus potest. Jam etiam arrogantiae non exiguae sit ea, quae haud inepte a doctissimis viris, doctrinae gloria florentibus, excussa sunt, reprobare et refellere, si quidem sententiae eorum summa probabilis videatur. Itaque in eo quaestio tota versabitur, quid Sophocles Ajacis fabula sibi voluerit; quod si quis ita exposuerit, ut omnis tollatur dubitatio, facili negotio, quae ab eo discedunt, collabi et redargui necesse est. Quod ego sentio hac de re, quoad sciam, nemo adhuc in lucem edidit, et operae pretium mihi erit, si sententia mea viris doctis non indigna videbitur, qua tanquam studiorum primitiis publicis †) in literarum quasi scenam prodeam.

Quaesivere viri docti, quid esset, cur a fabula antiquitus tradita discessisset Sophocles et ex parte eam mutasset, cujus rei nullum adhuc legi satis idoneum argumentum. Praeterea poeta, quem Cicero de div. I, 45. divinum appellat, multis locis in fabula sane egregia ita loquitur, ut interpretes non aliter illa explicari posse statuerint, quam ut ad res Sophoclis tempore gestas ea spectare censerent. Non male hi quidem. Magna autem omnino in explicanda fabula difficultas inde oritur, quod de tempore, quo docuerit eam poeta, nihil compertum habemus et conjectura tantum assequimur primo belli Peloponnesiaci tempore eam esse scriptam.

---

*) cf. Jacobi Sophocleas quaest. pg. 181. sqq. cf. etiam, quae Hermannus ad v. 852. ed. suae adnotavit.

**) primum in Mus. Rhen. 1829. vol. 3. part. 1, 2.; eadem deinde repetita sunt in min. ejus scriptis p. II. (1845.) pg. 264 — 358.

***) Abhandl. der philos. philol. Kl. d. königl. bayer. Akad. d. W. Bd. II. Abth. I. pg. 109 — 130.

†) Dissertationem, quam de particulae ὡς apud Homerum usu et significatione scripsi, in publicum non edidi.

Viam nobis munivit ad rei cognitionem Jacobus disputatione de tragicorum Graecorum cum republica necessitudine *), in qua docet spectare tragicos in fabulis suis ad res ipsorum tempore aut gestas, aut gerendas. Neque improbabile est, aeque eorum interfuisse, quid in republica gereretur, ac reliquorum civium, et cum in gubernanda republica non tantum studii collocarent, quantum ii, quorum in rebus civilibus versantium nomina memoriae prodita sunt, quanta eorum fuit ingenii facultas, eam ab iis aut ad docendos, aut ad monendos cives esse adhibitam. Et de Sophocle quidem non fugit nos, quanta ejus etiam in republica administranda fuerit opera, qua de re conferendus est C. F. Hermannus in annal. Berolin. mens. April. 1843. pg. 556. sqq., ubi Schöllii vitam Sophoclis dijudicat. Insignis ibi praeter locos apud Plut. Nic. c. 15.**) et apud Justinum III, 6, 12.***), quibus Sophocles poeta narratur Atheniensium exercitui praefuisse †), est locus Aristotelis rhetor. III, 18, 6., unde sequitur Sophoclem anno 413. post cladem Siciliensem inter *προβούλους* illos fuisse, quos Athenienses creaverunt ††), ut in hoc tempore reipublicae consulerent. Ex his locis atque ex iis, quae praeterea Hermannus l. l. disputavit, efficitur Sophoclem a reipublicae rationibus non alienum fuisse, immo non mediocriter emendandis illis et, ubi labefactatae fuerunt, restituendis eum operam dedisse. Nec mirum igitur, si etiam fabulis suis Sophoclem censemus summo cum studio Atheniensium reipublicae consuluisse; et hoc quidem quatenus de nostra fabula dici possit, deinceps videbimus; de tempore autem, quo scripta sit ea, tum demum accuratius judicare poterimus, ubi, quid Sophocles Ajace suo docuerit, exposuerimus. Tantum nunc dico videri mihi eam non ante cladem Siciliensem esse compositam.

Recte Jacobus pg. 182. litem omnem iu ea quaestione verti dicit, cur Sophocles Atridas adeo infensos Ajaci finxerit †††), ut de eo sepeliendo haec oriri posset disceptatio. Sed vereor, ut ex ipsa fabula, nisi luce extrinsecus allata illustretur, hoc unquam inveniri possit. Non sunt vituperandi, qui existiment hac fabula et superbiae poenam et prudentiae ac moderationis laudem doceri. Non enim haec aliena sunt a fabula; sed sine acri ista verborum contentione idem depingi potuit. Neque, ut vere dicit, qui

---

*) Soph. quaest. pg. 159. sqq.

**) *Σοφοκλῆς ὁ ποιητής, ὡς πρεσβύτατος ὢν τῶν στρατηγῶν.*

***) Athenienses duos duces eligunt, Periclem, spectatae virtutis virum, et Sophoclem, scriptorem tragoediarum.

†) Nota est etiam narratio de Sophoclis imperio contra Samios, quod ei propter Antigonam fabulam traditum esse dicitur.

††) cf. Thuc. VIII, 1. *ἀρχήν τινα πρεσβυτέρων ἀνδρῶν ἑλέσθαι, οἵτινες περὶ τῶν παρόντων, ὡς ἂν καιρὸς ᾖ, προβουλεύσουσι.*

†††) Hermannus ad v. 852. „nam hoc poetae inventum est.“

de Kannegiesseri disputatione censuram fecit *), una sic subest fabulae sententia, sed bipartita. Alia lis exstat, num fati notio sit in faqula expressa necne; porro, utrum Ajacem (v. 646 — 92. ed. Brunck.) insolentiae pristinae poeniteat, an simulatione suorum animos fallere studeat; denique, suane sponte Ulysses rem dirimat, an Minerva jubente sepulturam Ajaci vindicet. Quibus rebus Welckerus novam adjecit quaestionem repudians eorum sententiam, qui Ajacem censent post versum 595. scenam relinquere.

Quod ad fati notionem attinet veterum animis insitam, nimium scrutari mihi videntur, qui etiam iis fabulis, in quibus ne poeta quidem fati vim videtur ostendere voluisse, eam inesse arbitrentur. Atque de hac quidem re plura dicere nolo; longum est enim, quae ne nostro quidem tempore satis inter omnes constant, ea apud veteres in judicium vocare, nisi accuratius, quam in nostra fabula, a scriptore sunt denotata. De reliquis quaestionibus infra disputabimus.

Legenti mihi Thucydidis historiae librum primum oratio Atheniensium legatorum in contione Peloponnesiorum habita **) mire videbatur congruere cum versibus illis, quibus Teucer Agamemnonem repellit. Primum enim legati Peloponnesiis in memoriam revocant Atheniensium res contra barbaros gestas, ubi in Salaminiae pugnae commemoratione c. 73. ad verba οὐχ ἱκανοὶ ὄντες κατὰ γῆν ἀμύνεσθαι ἐσβάντες ἐς τὰς ναῦς κ. τ. λ. in mentem mihi venerunt versus 1273—1282.

οὐ μνημονεύεις οὐκέτ' οὐδέν, ἡνίκα
ἑρκέων ποθ' ὑμᾶς οὗτος ἐγκεκλῃμένους,
ἤδη τὸ μηδὲν ὄντας, ἐν τροπῇ δορὸς
ἐῤῥύσατ' ἐλθὼν μοῦνος, ἀμφὶ μὲν νεῶν
ἄκροισιν ἤδη ναυτικοῖς θ' ἑδωλίοις
πυρὸς φλέγοντος κ. τ. λ.

Tum versus 1283. sqq.

χὤτ' αὖθις αὐτὸς Ἕκτορος μόνος μόνου
λαχών τε κἀκέλευστος ἦλθ' ἐναντίος,
οὐ δραπέτην τὸν κλῆρον κ. τ. λ.

retttuli ad pugnam Marathoniam. Neque tum mirum mihi videbatur, quod ex tot Ajacis rebus gestis, quas Homerus narrat, nullae praeterea a Sophocle referuntur, cum illae, quarum mentionem facit poeta, omnium optime cum Atheniensium factis conferri possint. Sic etiam πυρὸς φλέγοντος ad Athenarum incendium spectare posse quis neget? Tum (c. 76.) Lacedaemoniorum studia cum Atheniensibus comparantur nec diversa esse statuuntur, „μέχρι οὗ τὰ ξυμφέροντα λογιζόμενοι τῷ δικαίῳ λόγῳ νῦν χρῆσθε.“ κ. τ. λ. cf. v. 1290 — 1307. Quae deinde proferuntur, haec sunt: Injuste judicamur, quamquam juste agentes; pernicies nostra vobis non utilis foret; nam

*) Beilage zu d. schles. Provinzialblättern Januar 1824.

**) Thuc. I, 73. sqq.

nihil cum reliqua Graecia commune habetis; itaque considerate, quid facturi sitis; nolite dissolvere factam pactionem; nam Deos jurisjurandi vindices obtestantes vobis repugnabimus. Hac similitudine adductus plura comparavi et denique mihi visus sum invenisse, quid poeta Ajace suo explicaverit. Videtur autem mihi, ut dicam, quod sentio, Sophocles sub Ajacis imagine rempublicam Atheniensium ostendere, qualis primo belli Peloponnesiaci tempore fuit, ut moneat cives suos, qui sit virium et opum vel maximarum exitus, nisi accedat pietas erga Deos et modestia nihil humani a se alienum existimans.

Non me fugit fore, quibus hoc vix possit persuaderi; sed primum memini viros doctos eadem ratione in Aristophanis ranis Dionysi personam interpretari, ut populi Atheniensium partes agat; tum eorum, quae poeta in fabula dicit, multo plura Atheniensibus perspicua esse debebant, quam nobis, cum illi res ipsas viderent, nos ab historicis eas acceperimus, qui, quamvis veritati studerent, tamen multa aut ipsi non satis intellexerunt, aut nescii neglexerunt, haud raro etiam ut nullius momenti consulto praetermiserunt. Accuratius autem consilium suum et quam vellet fabulae subesse sententiam, poeta, qui non ignoraret civium suorum iracundiam et in cives etiam optime de republica meritos iniquitatem, describere non utile habuit, cum extimescendum ei esset, ne aegre ferrent Athenienses rerum suarum adversarum imaginem, qui Phrynichum Mileti expugnationem describentem theatro ejecerant et pecunia multarant*).

Athenienses autem illo tempore, quo bellum Peloponnesiacum exarsit, superbia sua et opum fiducia in magnam reliquorum Graecorum incidisse invidiam et a rerum scriptoribus accepimus et ex legatorum Atheniensium oratione **) satis perspicere possumus. Quin etiam totius Graeciae imperium affectabant, quod poeta ita expressit, ut dicantur se Achillis armis dignos existimare.

Opes autem eorum praeclare exposuit Archidamas, Spartanorum rex, apud eundem Thucydidem ***), ut non inepte illorum respublica cum Ajacis condicione, qualis ea fuit mortuo Achille, possit comparari. Habemus etiam armorum judicium apud Thucydidem †), ubi propter res Corcyraeas et Potidaeam Athenienses judicantur *ἀδικεῖν* et *αἱ σπονδαὶ λελύσθαι* ††). Constat autem illud judicium ex Peloponnesiorum

*) Aelian. V. H. XIII, 17. et Herod. VI, 21.

**) Jam supra laudavimus hunc locum (Thuc. I, 73. sqq.).

***) I, 80. sqq. cf. c. 122., ubi Corinthii dicunt: *νῦν δὲ πρὸς ξύμπαντάς τε ἡμᾶς Ἀθηναῖοι ἱκανοὶ καὶ κατὰ πόλιν ἔτι δυνατώτεροι κ. τ. λ.*

†) I, 118. cf. c. 87.; et c. 125. de Peloponnesiorum legatis per urbes singulas sententiam dicentibus narratur: *καὶ τὸ πλῆθος ἐψηφίσαντο πολεμεῖν.*

††) cf. c. 23. *λύσαντες τὰς τριακοντούτεις σπονδάς, αἳ αὐτοῖς ἐγένοντο μετὰ Εὐβοίας ἅλωσιν.*

legatis, quos poeta Atridarum nomine complectitur. Non desunt etiam, qui furtim legatos contra Athenienses excitaverint; nam c. 119. Thuc. narrat de Corinthiis: καὶ οἱ Κορίνθιοι δεηθέντες μὲν καὶ κατὰ πόλεις πρότερον ἑκάστων, ἰδίᾳ ὥστε ψηφίσασθαι τὸν πόλεμον*).

Sic patet, cur Sophocles Graecos fecerit armorum judices, non, ut Homerus docet, Trojanos**). Porro quod Calchas a v. 762. de Ajacis impietate in Deos narrat, etiam apud Athenienses habet, quo referri possit, veluti apud Thuc. I, 126. πρέσβεις πέμψαντες οἱ Λακεδαιμόνιοι ἐκέλευσαν τοὺς Ἀθηναίους τὸ ἄγος ἐλαύνειν τῆς θεοῦ, quod ἄγος tum accuratius describitur. Supplices enim ex Minervae templo abductos interfecerant. Tale autem facinus a Diis immortalibus puniri veteres credebant, et de Spartanis, qui Ilotas ex Neptuni templo protrusos necaverant, Thuc. c. 128. memoriae prodit: δι᾽ ὃ δὴ καὶ σφίσιν αὐτοῖς νομίζουσι τὸν μέγαν σεισμὸν γενέσθαι ἐν Σπάρτῃ.

Aliud ejusmodi piaculum frustra circumspexi, nisi forte temporum permutatione hic Ajacis locus spectat ad Hermarum violationem, quae facta est, cum Athenienses in Siciliam profecturi essent, et ad nefas adversus initia Eleusinia commissum, quibuscum conferre possumus duplex illud Ajacis in Deos delictum.

Ajax noctu impetum fecit in Atridas***), nemo eum vidit, et prima luce morbo illo divinitus misso oppressus ante oculos nobis est†). Athenienses post concilium illud Peloponnesiorum cum Lacedaemoniis in gratiam redire potuissent, nisi nimia superbia et virium suarum fiducia permoti omnes pacis condiciones repudiassent††). De nocturno impetu non satis compertum habeo, quid comparem, cum dubius sim de expeditione Atheniensium a Thuc. II, 56. narrata, quamquam in illa Atheniensium exercitus pestilentia affectus consumebatur†††). Malim tamen nocturnum istum conatum ad studium magis et consilium Atheniensium, quam ad factum aliquod referre, ut, quod Athenis aperte a geretur et in oratorum et populi ore versaretur, studium poenarum

---

*) Huc refero v. 1136. sq.
Men. ἐν τοῖς δικασταῖς κοὐκ ἐμοὶ τόδ᾽ ἐσφάλη.
Teucr. πόλλ᾽ ἂν κακῶς λάθρα σὺ κλέψειας κακά.

**) Od. XI, 546. παῖδες δὲ Τρώων δίκασαν καὶ Παλλὰς Ἀθήνη.

***) v. 47. νύκτωρ ἐφ᾽ ὑμᾶς δόλιος ὁρμᾶται μόνος.

†) v. 452. ἐμβαλοῦσα λυσσώδη νόσον.

††) cf. Thuc. I, 126. sqq. II, 12.

†††) Thuc. II, 57. Alia temporum permutatione poeta fortasse πύλαις (v. 49.) respicere vult ad Pylum et cladem Lacedaemoniorum ibi acceptam. cf. Thuc. IV, 41. τῆς δὲ Πύλου φυλακὴν κατεστήσαντο.

a Peloponnesiis repetendarum nocturnis Ajacis insidiis sit expressum. Ad pestilentiam vero cum Sophoclis fabula consociandam egregie nobis subvenit Thucyd. oraculo illo Delphico:*) πέμψαντες δὲ (οἱ Λακεδαιμόνιοι) εἰς Δελφοὺς ἐπηρώτων τὸν θεὸν εἰ πολεμοῦσιν ἄμεινον ἔσται. ὁ δὲ ἀνεῖλεν αὐτοῖς, ὡς λέγεται, κατὰ κράτος πολεμοῦσι νίκην ἔσεσθαι, καὶ αὐτὸς ἔφη ξυλλήψεσθαι καὶ παρακαλούμενος καὶ ἄκλητος.

Nec praetereundus est locus**): μνήμη δὲ (inter Athenienses) ἐγένετο καὶ τοῦ Λακεδαιμονίων χρηστηρίου τοῖς εἰδόσιν, ὅτι ἐπερωτῶσιν αὐτοῖς τὸν θεόν, εἰ χρὴ πολεμεῖν, ἀνεῖλε κατὰ κράτος πολεμοῦσι νίκην ἔσεσθαι καὶ αὐτὸς ἔφη ξυλλήψεσθαι. Περὶ μὲν οὖν τοῦ χρηστηρίου τὰ γιγνόμενα ἤκαζον ὁμοῖα εἶναι. — — καὶ ἐς μὲν Πελοπόννησον οὐκ ἐσῆλθεν, ὅ τι ἄξιον καὶ εἰπεῖν, ἐπενείματο δὲ ᾿Αθήνας μάλιστα.

Ita manifesto pestilentia videtur ab Apolline missa, et recte viri docti mirati sunt, quod Sophocles Minervae istam mentis exturbandae vim tribuit Neque accusandus est Sophocles, quem de industria censeo Minervae nomine usum esse, ne re nimis aperte significata in civium suorum invidiam incideret; qua re ipse sibi quasi aditum obstruxisset ad civium mores emendandos. Et sic demum satis perspicimus, quantum momenti habeat Deae in scena praesentia. Ipsa se morbum dicit immisisse Ajaci Atridis exitium minanti, ipsa ostendit***) Ulyssi, qualis sit Ajacis morbo gravi laborantis status, quem postea poeta accuratius exponit. Quanta autem Ulyssis sit erga Deos reverentia, ex verbis ejus conspicimus:

v. 34. sq. πάντα γὰρ τά τ᾿ οὖν πάρος
τά τ᾿ εἰσέπειτα σῇ κυβερνῶμαι χερί.

Denique ipsa Dea monet, qualis unicuique erga Deos animus esse debeat:

v. 127. sqq. τοιαῦτα τοίνυν εἰσορῶν ὑπέρκοπον
μηδέν ποτ᾿ εἴπῃς αὐτὸς εἰς θεοὺς ἔπος,
μηδ᾿ ὄγκον ἄρῃ μηδέν᾿, εἴ τινος πλέον
ἢ χειρὶ βρίθεις, ἢ μακροῦ πλούτου βάθει †)
ὡς ἡμέρα κλίνει τε κἀνάγει πάλιν
ἅπαντα τἀνθρώπεια· τοὺς δὲ σώφρονας
θεοὶ φιλοῦσι καὶ στυγοῦσι τοὺς κακούς.

---

*) I, 118. **) II, 54.

***) Atque cum gravitate quadam haec dicta putes (v. 66.):
δείξω δὲ καί σοι τήνδε περιφανῆ νόσον,
ὡς πᾶσιν ᾿Αργείοισιν εἰσιδὼν θροῇς.
Quis est, qui non primo adspectu videat his verbis vim aliquam inesse, quae ultra fabulae fines videatur spectare?

†) Haec divitiarum commemoratio non ad Ulyssem referenda videtur, rectius spectat ad Atheniensium opes, quales tum fuerunt. cf. Thuc. II, 13.

De reliquis fabulae personis ut dicam, Ulysses ex Homerica narratione assumptus videtur, ut partim servet Homericam rerum condicionem, partim exemplar sit ad imitandum propositum. Quod probabilius etiam fit in exsecratione illa Atridarum*), ubi Ulyssis nulla mentio est facta. Et cum hunc locum semel attulerimus, etiam verba τῶς αὐτοσφαγεῖς πρὸς τῶν φιλίστων ἐκγόνων ὀλοίατο, si ad praesentiam referuntur, nihil jam habent offensionis.

Tecmessam et Eurysacem poeta fortasse Athenienses matronas earumque pueros vult significare et chorum socios Atheniensium**). Quibus de personis si cui alia interpretatio praeferenda videtur, non obsto***).

Atridae sunt Spartani et in universum ii, qui inter Peloponnesios hostilem servant contra Athenienses animum.

Teucrum denique, quem poeta fingit absentem, dum Ajax se interficit, Ajacis partes constat suscipere. Nam priusquam Ajacis cadaver aut inhumatum projiciatur et cibus fiat ferarum, aut exsequiarum honorem nactum sit, veterum moribus fabula non potuit finiri, hoc est, nisi Atheniensium respublica aut eversa et libertate privata est, aut cum adversariis suis in gratiam rediit: neque ejus historia est finita. Teucer igitur Ajacis h. e. reipublicae partes suscipit et minoribus quidem viribus, sed ad omnem eventum paratus eos, quos florentibus rebus Athenienses infensos sibi reddiderunt, impedire studet, quominus civitatem exstinguant et, interfectis maritis, uxores et liberos in servitutem abducant.

De Calchante idem fere sentio, quod supra de Ulysse dixi.

Ab initio igitur fabulae Minerva Ulyssem certiorem facit gregum publicorum caedem ab Ajace esse factam. Prima haec fabulae pars quasi prolusio est, qua spectantium Atheniensium animos avertat poeta ab eo, quod proprie in animo habet; nam primum consilium suum occultare debet, ut Athenienses, quid ipsi peccaverint, videant, neve tamen se significari suspicentur; tum ei antiqua fabula ita commutanda est, ut sit ad reipublicae condicionem exprimendam apta. Itaque Sophocles necem gregum finxit, ut pestilentia commemorari possit et sub Ajacis insanientis imagine depingi. De v. 66. sq. supra dixi. Atridarum autem interficiendorum consilium ob id Ajaci tribuit, ut etiam in fabula illi habeant, cur sint tanta in hunc ira incensi.

In fine autem prolusionis poeta obiter confitetur, quid sequenti fabula velit doceri. Ulyssis enim verba

*) v. 838. sqq. Idem spectant etiam Tecmessae verba v. 971. πρὸς ταῦτ' Ὀδυσσεὺς ἐν κενοῖς ὑβριζέτω.

**) v. 202. Atheniensium nomine appellari videtur chorus.

***) Praesertim cum multis locis etiam Tecmessa inducta videatur ad tuendam fabulam Ajacis Trojanam, qua poeta consilium suum tanquam alieno vestimento obtexit.

ὁρῶ γὰρ ἡμᾶς οὐδὲν ὄντας ἄλλο πλὴν
εἴδωλ', ὅσοιπερ ζῶμεν, ἢ κουφὴν σκιάν.

optime componuntur cum iis, quae Dea deinde dicit. Ulysses docet, quid homo de semet ipso debeat sentire, Minerva autem, qualem Dii animum in se oderint.

Procedit chorus ignarus eorum, quae facta sunt, sed ex rumoribus cognovit, quae sunt spectatoribus nota, quibus cum fidem non habeat, praesto est ad rem perquirendam. Ajacem adeo ceteris Graecis odio fuisse, ut ei in malis versanti insultarent, memoriae non proditum est, ad Atheniensium autem rempublicam commode referas, quae vv. 151 — 171.*) dicta sunt:

περὶ γὰρ σοῦ νῦν εὔπιστα λέγει,
καὶ πᾶς ὁ κλύων τοῦ λέξαντος
χαίρει μᾶλλον τοῖς σοῖς ἄχεσιν καθυβρίζων.
τῶν γὰρ μεγάλων ψυχῶν ἱεὶς
οὐκ ἂν ἁμάρτοις κ. τ. λ.

Spectant haec verba ad reliquorum Graecorum imprimis Peloponnesiorum odium in Athenienses conceptum, qui quidem maxime gaudent pestilentia Atheniensium vires consumente. Nam gregum caedem assumptam esse ad consilium poetae occultandum, etiam inde patet, quod neque ab Atridis illius caedis mentio fit, neque Ajax ipse post v. 376., praeter duos locos,

v. 453. ὥστ' ἐν τοιοῖσδε χεῖρας αἱμάξαι βοτοῖς.
et v. 546. νεοσφαγῆ που τόνδε προσλεύσσων φόνον.

eam commemorat, sed aut de ira Deorum, aut de ignominia, quam armorum detrimento acceperit, loquitur. Etiam v. 158. ad Athenienses spectat:

πρὸς γὰρ τὸν ἔχονθ' ὁ φθόνος ἕρπει.**)

Sequentibus verbis poeta optimatium imperium videtur commendare, cui instituendo postea ipse inter probulos videtur operam dedisse. Docet enim homines inferioribus animis praeditos infirmum esse praesidium, sed cum magnanimis hominibus conjunctos et ipsos majorem habere auctoritatem, et his in minorum opera non minimum auxilii esse positum. Stultis autem hominibus talia sentientem fidem non facere. Nonne planius hisce poeta ad reipublicae statum respicere est censendus? Pergit chorus: Hi (Peloponnesios dicit) nunc exsultant, neque ego is sum, qui resistam, sed tu si apparueris, obmutescent. A v. 173. chorus secum cogitat, unde morbus Ajacis

*) In numeris Brunckium secutus sum; praeterea usus sum Wunderi editione altera.

**) Thuc. I, 88. ἐψηφίσαντο δὲ οἱ Λακεδαιμόνιοι τὰς σπονδὰς λελύσθαι καὶ πολεμητέα εἶναι οὐ τοσοῦτον τῶν ξυμμάχων πεισθέντες τοῖς λόγοις, ὅσον φοβούμενοι τοὺς Ἀθηναίους μὴ ἐπὶ μεῖζον δυνηθῶσιν, ὁρῶντες αὐτοῖς τὰ πολλὰ τῆς Ἑλλάδος ὑποχείρια ἤδη ὄντα.

profectus sit et suspicatur a Deo quodam eum immissum esse, vel a Diana (Apollinis sorore, cui eadem vis erat morbi pestilentis excitandi), victoriae cujusdam aut bellicae, aut venatoriae non relatis gratiis, vel a Marte*) ob rem bellicam. Fortasse poeta Apollinem in animo habet, ad quem ξυνοῦ non male referas**), et a quo morbus ipse originem habere credebatur, nec tamen ausus est tam aperte sententiam suam aperire.

Versus 184—192. cum sententia nostra bene congruunt. θεία νόσος ad pestilentiam spectat, et verba μή, μή μ' ἄναξ, ἔθ' ὧδ' ἐφάλοις κλισίαις ὄμμ' ἔχων κακὰν φάτιν ἄρῃ hanc continent sententiam: Noli ita otiosus sedens comprobare, quod adversarii de domestico statu tuo in vulgus efferunt h. e. excedite Athenienses ex urbe et rerum gerendarum memores este. Aperte hoc loco chorus Jovis et Apollinis auxilium implorat, ut rumores de pestilentia ad irritum vertant. Qui sequuntur versus

ἀλλ' ἄνα ἐξ ἑδράνων κ. τ. λ.

perspicuis verbis Athenienses urbis muris inclusos ad arma vocant. Ineptum enim esset propter rem, quam cum Atridis habet Ajax, ad arma vocare; non enim pugna hoc loco esset contra Trojanos, sed contra Atridas, quod incredibile est; optime autem haec verba ad bellum Atheniensium cum Peloponnesiis referuntur.

In scenam nunc (v. 201.) prodit Tecmessa, Ajacis uxor captiva, quae cum intra Ajacis tentorium fuerit, sciat necesse est, quid intus factum sit, et iis, quae sequuntur, domestica Atheniensium condicio describitur. Huc accedit, quod v. 202 Tecmessa chorum ita alloquitur:

γενεᾶς χθονίων ἀπ' Ἐρεχθειδᾶν,

quo nomine Athenienses ipsi solebant appellari, ab Erechtheo, Atheniensium rege. Sed ut spectantium animi a vera sententia abducantur, adjectum est τηλόθεν οἴκου. Tum χειμῶνι νοσήσας iterum ad pestilentiam pertinet. Recedit poeta post hanc nimiam fere veri consilii significationem ad gregum caedem, et quod jam sciunt spectatores, de eo mutua narratione chorus et Tecmessa certiores fiunt.

Quaerere quispiam possit, cur Sophocles non satis habuerit effingere caedem pecudum, quidque fuerit causae, cur in tentorium etiam Ajax eas adducat atque ibi jugulet. Sed in hac ipsa re id inest, quod poeta voluit. Ostendit enim sub ea imagine stragem tum Atheniensium in urbe habitantium, tum eorum, quos ex agris in urbem convenire jussit Pericles***). Haec autem strages nobis ante oculos ponitur inde a v. 346., ubi Tecmessa aperit Ajacis tentorium.

---

*) Nostra ratione etiam lis de Marte sive Enyalio et de vocabulo ξυνοῦ interpretando videtur diremta esse; nam quominus Atheniensibus Mars opitulatus sit, quid impedit? Athenis enim colebatur. Sed si quis ad veterem fabulam haec respicere mavult, de Trojanis illud ξυνοῦ intelligo.

**) Vide supra locum Thuc. I, 118.

***) Thuc. II, 52.

Versus 229. sqq. οἴμοι, φοβοῦμαι τὸ προσέρπον. περίφαντος ἀνὴρ θανεῖται, παραπλήκτῳ χερὶ συγκατακτὰς κελαινοῖς ξίφεσιν βοτὰ καὶ βοτῆρας ἱππονώμας.

mala significant, quae Atheniensium reipublicae imminent, postquam et ii mortui sunt, qui imperium tenuerunt, et, qui in horum fuere dicione. Tecmessa haec ad greges refert, et mira est poetae ars a republica Atheniensium ad fictam illam rem et inde ad rem propositam transeundi, ut dubii maneant, qui inspectant, utrum de belli Trojani tempore, an de ipsorum aetate ille vociferetur, et ut iis potius, quae in scena aguntur, animi eorum moveantur, neve patefactum poetae consilium irritum fiat*). Partes autem inde a v. 214. ita divisit poeta, ut chorus respiciat ad rempublicam, Tecmessa rei commenticiae descriptionem suscipiat. Quae ubi abiit, alterum ἡμιχόριον ejus muneri succedit, donec v. 647. Ajax progreditur. Interdum tamen etiam Tecmessae verba duplicem habent sententiam. Sic. vv. 260. sqq.

τὸ γὰρ ἐσλεύσσειν οἰκεῖα πάθη,
μηδενὸς ἄλλου παραπράξαντος,
μεγάλας ὀδύνας ὑποτείνει.

vere de republica et populo Atheniensi dicti sunt, quamquam de Ajace narrant. Atque hanc sententiam excipiens chorus addit: Sed si (scil: populus pestilentia nunc) liberatus est, sane spero fore, ut res nostrae iterum floreant; minor enim mali praeteriti est memoria. Ajacis autem animus nunc post morbum graviter est afflictus, ut temere videatur chorus gavisus esse. Tecmessa antea eum in insania hilarem fuisse dicit, dum sui maesti essent; nunc duplicem esse et Ajacis et suam ipsorum maestitiam**). Chorus consentit et si, morbo finito, tamen in magnis sit luctibus Ajax, timet, ne hic sit casus divinitus immissus. Et haec quidem verba ad Atheniensium animos morbi calamitate fractos et futurae salutis desperationem sunt referenda. Deinde in continua Tecmessae narratione durus Ajacis animus et vel amicissimnm consilium non audiens, sed iracundia et ulciscendi studio occupatus egregie depingitur. Ad internecionem eorum proruit, quos injuste sibi primas denegare persuasum habet. Reversus autem domestica caede nomen suum polluit, in animo habens poenas ab Atridis et Ulysse repetere.***)

---

*) Vide, quod supra de Phrynicho attulimus.

**) Insignis est versus 269. Tecm: ἡμεῖς γὰρ οὐ νοσοῦντες ἀτώμεσθα νῦν. h. e. nos enim, quamquam non aegrotamus, nunc in miseria sumus. Ad hanc verborum ambiguitatem sine dubio erectorum auditorum partes chorus suscipit quaerens: πῶς τοῦτ' ἔλεξας; οὐ κάτοιδ' ὅπως λέγεις. Nec minus ambigue ea dicta sunt, quae deinde sequuntur.

***) V. 301. σκιᾷ τινι ad Minervam respicere patet. cf. v. 89—117. Utrum Minerva ab initio fabulae spectatoribus tantum conspicua sit, an etiam Ulyssi et Ajaci eminus appareat, nunc non satis enucleari posse, neque ad nostram rem vim habere

Postea paullisper sui compos factus, perspecta calamitate*), in summam desperationem abripitur atque universam malorum condicionem sciscitando cognoscens miserabiles ejulationes tollit, quas viri magnanimitate indignas esse semper dicebat; tum tacitus sedet inter victimas suas alimenta repudians *καὶ δῆλός ἐστιν ὥς τι δρασείων κακόν.* In fine orationis Tecm. a choro petit, ut tentorium intrans mulieres et ob id inanes preces adjuvet. Tota haec narratio ad Atheniensium calamitatem spectat pestilentia acceptam, et consentit cum hac descriptione Thucydides**). Sed ne suspicio moveatur sedentium, chorus iis, quae jam de republica dicturus est, praemittit nomen et patrem Tecmessae, ut Trojanum spectaculum hoc esse moneat. Clamorem edit Ajax et Teucrum vocat***). Quod praeclare a poeta ita institutum est, ut satis deinde praeparatus sit Teucri adventus. Chorus, cui resipiscere Ajax videtur, tentorium jubet aperiri. Tecmessa aperit verbis: *ἰδού, διοίγω.* et fit illud *ἐκκύκλημα*, quod usque ad v. 595. extenditur†).

Tecmessae verbis: *προσβλέπειν δ' ἔξεστί σοι*
τὰ τοῦδε πράγη, κἀὐτὸς ὡς ἔχων κυρεῖ.

haec subest sententia: Nunc ante oculos vobis ponam intestinam reipublicae rationem.

---

mihi videtur, quare integrum illud relinquo; certe verba *σκιᾷ τινι* ita explicari possunt, ut Tecmessa, cum ipsa nihil viderit, umbram quandam Ajaci in conspectum venisse suspicetur.

*) Recte vidit Wunderus ad v. 299. edit. suae his verbis (*πλῆρες ἄτης στέγος*) Tecmessam non solam caedem significare, sed simul Ajacis perniciem ea caede paratam; modo transferenda haec pernicies est ad res Atheniensium publicas.

) II, 65. *) 333. sqq.

†) Et hic quidem locus est, ubi in judicium vocemus Welckeri sententiam de Ajace inde a v. 595. usque ad v. 645. simul cum Tecmessa in scena remanente. V. D. enim in minoribus suis scriptis p. II. pg. 303. sqq. demonstrare studet Ajacem post v. 595. non in tentorium discedere, quamquam hoc praeter Welckerum, nisi fallor, omnes putavere, qui hac de re scripserunt, sed in scena remanere, Tecmessam autem in tentorium recedere jussam nihilominus pedem non referre. Non repetam, quod alii de sequenti chori cantu dixerunt, non, quod de Tecmessa parum apte obedientiam recusante: ad Graeca verba respiciam et Ajacem ostendam, cum nonnisi eccyclematis opera hoc loco in conspectum veniat, post v. 595. in scena non remanere. V. 344. chorus verbis *ἀλλ' ἀνοίγετε* Tecmessam jubet Ajacis tentorium aperire, quibus illa obsequitur dicens: *ἰδού, διοίγω.* Hic choliasta adnotat: *ἐνταῦθα ἐκκύκλημά τι γίγνεται, ἵνα φανῇ ἐν μέσοις ὁ Αἴας ποιμνίοις.* Quod *ἐκκύκλημα* pluribus descripsit O. Müller (Geschichte der griech. Literatur II, 63.). Pergit scholiasta: *δείκνυται δὲ ξιφήρης* (quod non probabile est), *ἡματωμένος, μεταξὺ τῶν ποιμνίων καθήμενος.* Eadem est species theatri v. 364. sqq. *ὁρᾷς τὸν θρασύν, τὸν εὐκάρδιον — ἐν ἀφόβοις με θηρσὶ δεινὸν χέρας*; et v. 369., ubi Ajax Tecmessam tentorio vult excedere: *οὐκ ἐκτός; οὐκ ἄψοῤῥον ἐκνεμεῖ πόδα;* v. 453. *τοιοῖσδε* spectat ad pecudes occisas prope jacentes. v. 545. Ajax dicit:

Recte monet Benloevius*) tripartitam esse Ajacis condicionem, insanientis, desperantis et mentem sanissimam recuperantis. Sed cum in ipsa rerum natura sit nulla sine transitu quodam facta partitio, ita in hac etiam fabula ab insania ad desperationem transitus est factus, quem expressum habemus inde a v. 348. Etenim mira ista et singularis dicendi ratio, qua Ajax utitur, non sine arte quadam a poeta est instituta, ut animum Ajacis ostendat nondum omnino ex calamitate a divino numine imposita se recepisse. Socii navales, inquit, qui soli ex amicis meis justam legem observastis, videte calamitatem meam. Chorus Tecmessam recte locutam dicit, Ajacem enim nondum ab insania plane se collegisse. Ajax chorum unum malorum**) adjutorem appellat et ab eo vult se interfici. Num reipublicae perturbatae rationem accommodatius depingere potuit poeta? Pestilentia finiri coepta est, sed omnium legum et institutorum dissolutio***) eo magis apparet, quo propius ad veterem ordinem res redeunt.

Chorus in his malis moderationem adhiberi jubet, ne major fiat malorum moles. Ajax nihil magis timet, quam adversariorum risum et in Tecmessam talia verba deprecantem acrius invehitur. Quin tantum abest, ut suorum precibus cedat, ut, quo majore studio eum rogant, eo magis ejus iracundia fiat implacabilis et maximo dolore eum id afficiat, quod Ulysses et Atridae manus ejus effugerunt. Nonne talem

---

αἶρ' αὐτόν, αἶρε δεῦρο· ταρβήσει γὰρ οὐ
νεοσφαγῆ που τόνδε προςλεύσσων φόνον,
εἴπερ κ. τ. λ.

et v. 578. *ἀλλ' ὡς τάχος τὸν παῖδα τόνδ' ἤδη δέχου*
καὶ δῶμα πάκτου, μηδ' ἐπισκήνους γόους
δάκρυε.

Vetat igitur nunc Ajax eam extra tentorium lamentari, sed intrare eam jubet et aditum claudere. Quae cum non obediat, sed maerore perculsa in obsecrando persistat, v. 593. Ajax vehementius in eam invehitur: *οὐ ξυνέρξεθ' ὡς τάχος*; quo facto Tecm. precibus quidem finem non facit, sed tentorium claudit, et dum hoc facit, Ajacis verba etiam audiuntur:

μῶρά μοι δοκεῖς φρονεῖν,
εἰ τοὐμὸν ἦθος ἄρτι παιδεύειν νοεῖς.

Et his quidem versibus illud *ἐκκύκλημα* finitur. Tecmessam autem intra tentorium lacrimis, obsecrationibus et supplicationibus non pepercisse, satis credibile est, ut non miremur Ajacem v. 646. misericordia motum videri, cum ipse dicat: *ἐθηλύνθην στόμα πρὸς τῆςδε τῆς γυναικός.* Sic v. 596. chorus solus remanet in scena, nec quoquam molestiam exhibente, cantum illum potest edere. Tecmessam una cum Ajace in tentorio remanere, inde sequitur, quod in mulieris natura positum est maritum non relinquere, si quid mali viderit ei imminere.

*) in dissert. Gotting. 1839. §. 6.

**) sec. Wunderi scripturam; codd. *ποιμένων* habent, quod ego in miro hoc conturbati animi sermone non censuerim mutandum esse.

***) Thuc. II, 52. *ἐς ὀλιγωρίαν ἐτράποντο καὶ ἱερῶν καὶ ὁσίων ὁμοίως.*

virum jure punitum esse existimabimus, qui, ubi paullulum ex malo respiravit, ad pristinam pervicaciam statim redit? Adeo obcaecatus Ajacis est animus, ut non videat ad spiritus reprimendos a Dea morbum istum ipsi injectum esse et, dum in furore versatur, adeo sociam eam appellet. Idem, postquam sanam mentem recepit, Deam infensam potius sibi arbitratur, quam altioris supercilii et temeritatis esse vindicem. Satis haec elucent ex Ajacis sermonibus:

v. 373. ὦ δύςμορος, ὃς χερὶ μὲν μεθῆκα τοὺς ἀλάστορας.

v. 384. ἴδοιμί νιν, καίπερ ὧδ᾽ ἀτώμενος.

(Et chorus quidem majorem etiam Deorum poenam metuens haec monet:

v. 386. μηδὲν μέγ᾽ εἴπῃς. οὐχ ὁρᾷς, ἵν᾽ εἶ κακοῦ;)

v. 387. sqq. ὦ Ζεῦ, προγόνων προπάτωρ, πῶς ἂν τὸν αἱμυλώτατον,
ἐχθρὸν ἄλημα, τούς τε δισσάρχας ὀλέσσας βασιλῆς
τέλος θάνοιμι καὐτός.

Cum his furoris et iracundiae testimoniis si conferimus

v. 364. sqq. ὁρᾷς τὸν θρασύν, τὸν εὐκάρδιον,
τὸν ἐν δαΐοις ἄτρεστον μάχαις,
ἐν ἀφόβοις με θηρσὶ δεινὸν χέρας;
οἴμοι γέλωτος, οἷον ὑβρίσθην ἄρα.

facile intelligimus Ajacem id agere, ut manum sibi inferat. Hinc igitur, ex nimio pudore atque ob iracundiam non satiatam in Ajacis animo moriendi cupiditas oritur, hac mente illud ἕλεσθ᾽, ἕλεσθέ μ᾽ οἰκήτορα*) κ. τ. λ. dictum est, ob id non dignum se dicit, qui Deos hominesve adspiciat, quod ipsi hoc sit detrimento. De Minerva autem dicit: v. 401. ἀλλά μ᾽ ἁ Διὸς
ἀλκίμα θεὸς
οὔλιον αἰκίζει.

quod occasionem ipsi abstulerit ulciscendi. — His omnibus mirifice describitur infracta Atheniensium etiam post maxima mala voluntas. Diem obire malunt supremum, quam mutata mente cum Diis et hominibus reconciliari. Nec mirum est, quod tanta animorum atrocitate et Peloponnesiorum et inter reliquos Graecos praecipue Thebanorum tam acerbum excitarunt odium, ut ipsi Athenienses in hac calamitate illos utrimque copias adversus urbem adducturos esse existimarent, quod ab Ajace ita significatur**):

πᾶς δὲ στρατὸς δίπαλτος ἄν με χειρὶ φονεύοι.

Tecmessa ad pristinam Atheniensium mentem respiciens dicit:

ὦ δυςτάλαινα τοιάδ᾽ ἄνδρα χρήσιμον
φωνεῖν, ἃ πρόσθεν οὗτος οὐκ ἔτλη ποτ᾽ ἄν.

---

*) 396. **) 408.

Iterum recurrit v. 411. Ajacis oratio ad rem Trojanam, unde paullisper recessit, ita tamen, ut verba τοῦτό τις φρονῶν ἴστω poetae consilium attingant et prudentes jubeant gloriosa illa verba *): οἷον οὔτινα
Τροία στρατοῦ
δέρχθη χθονὸς μολόντ' ἀπὸ
Ἑλλανίδος·

ad praesentiam referre. Cum in se uno omnem malorum culpam non videat inesse, Ajax ad superstitionem confugit et nomen suum, Αἴας, ab αἰαῖ ductum (apud Pindarum ab aquila oritur) fatale sibi factum dicit. Ad eandem superstitionem etiam ea pertinent, quae v. 661. sqq. Ajax et 1027. sqq. Teucer praedicant. — Conqueritur Ajax de armis Achillis sibi denegatis, poenitet eum Atridas interficere non potuisse **), qui Deae opera nunc ipsum irrideant; invisus esse et Diis et hominibus sibi videtur; pudet eum in patris conspectum venire γυμνὸν φανέντα τῶν ἀριστείων ἄτερ, ὧν αὐτὸς ἔσχε στέφανον εὐκλείας μέγαν. Nihil videt, quo ignominiam deleat, praeter mortem, ac turpe esse dicit ejus diem proferre, si malorum nullum sit remedium, sed aut honeste vivere, aut honeste mori nobilis esse hominis. Haec et id quoque, quod de patris honore dicit, ad Athenienses commode referuntur. Clausula illa: πάντ' ἀκήκοας λόγον. immutabile Ajacis consilium indicat. Ipse chorus dicit ***): κρείσσων γὰρ Ἅιδᾳ κεύθων ὁ νοσῶν μάταν. Quae ad Ajacis verba v. 481. chorus refert, ea media sunt interjecta inter fabulam Trojanam et rem, quam vere ad describendum poeta sibi proposuit, ut ad utramque possint pertinere: „Quae dixisti, ea haud abhorrent a mentis tuae ratione; sed virorum amicorum precibus cedens tristem illum animum abjicias.“ Tecmessa gravissimis verbis a moriendi consilio Ajacem revocare studet. Sed quamquam chorus etiam misericordia eam dignam esse censet, Ajax laudis eam participem fore dicit, si modo dicto audiens ipsi fuerit. Laudat ejus sedulitatem, quod inter ipsius furorem puerum in tuto collocavit. Non dubito, quin etiam haec pueri remotio in historia habeat, quo referatur, quamquam nunc quidem apud historicos nihil invenio. Prolem deinde adductam †) Ajax valere jubet, precatur, ut patre fiat filius felicior, ceterum aequalis. Optat etiam, ut adultus hostibus ostendat dignum se esse ejusmodi patre filium. Tum Ajax Teucrum dicit a se relinqui πυλωρὸν

*) 423. Omissa h. l. est Achillis mentio, ac videtur poeta propterea eam non fecisse, ut magis sub oculos cadat Ajacis sive Atheniensium insolentia.

**) ἐψήφισαν cum ad Peloponnesios referendum videatur, qui contra Athenienses sententiam dixerunt, non est, quod Eustathius dicat de anachronismo. Simili modo verba λυσσώδη νόσον (v. 452.) ad pestilentiam spectant et stragem Atheniensium.

***) v. 635.

†) Famulus puerum adducit, non mulier, ut Wunderus ad v. 586. editionis suae dicit. cf. v. 542. et 544.

φύλακα h. e. qui et prolem et urbem contra hostium impetum defendat. Praevidet igitur animo Ajax rem Atheniensium ad solam urbis defensionem redactam. Quid fieri velit, exponit. Tum Tecmessam tentorium jubet claudere eamque vetat extra illud lacrimas fundere. Non esse autem sapientis medici carminibus uti in malo, quod ferro egeat. Ipse igitur eam sibi dicit esse naturam, quae nec mutari possit, nec praesentia mala ferre, et cujus impetus excidio demum comprimatur. His verbis reipublicae saluti ipse poeta desperat. Chorus a precibus, quas frustra adhiberi videt, nunc recedit, Tecmessa autem in fortunae discrimine versans et summo timore perculsa omnia periclitatur. Sed frustra in consilio ejus mutando omnem operam consumit, quod ex Ajacis verbis intelligimus: μῶρά μοι δοκεῖς φρονεῖν,
εἰ τοὐμὸν ἦθος ἄρτι παιδεύειν νοεῖς.

Sed non in mulieris natura est positum, ut, nisi spes omnis sit ei erepta, a proposito desistat. Itaque etiam Tecmessa, metu paene exanimata, existimanda est precibus, obsecrationibus, lacrimis intus Ajacis animum defatigasse. Quid autem in viro quamvis ferreo muliebres preces possint, et quam egregie poeta etiam hoc loco Atheniensium mores descripserit, mox videbimus.

Clauso Ajacis tentorio chorus solus cantat et de malis queritur, quae ob Ajacis pervicaciam ei sunt ferenda, eumque miseret vetulae viri matris. — Quae deinde de Ajace dicit, ea rursus ad rempublicam spectant; mavult enim illum insanabili morbo affectum apud inferos esse, qui patre ac majoribus omnium Graecorum praestantissimus a prioris aetatis more et consuetudine recesserit. Sed mox antiquae fabulae speciem obducit et patris futuro dolore movetur, cujus filius inter omnes Aeacidas in tristissima mala inciderit.

Nunc (v. 646.) Ajax in scenam procedit, quem in priore fabulae parte praeter illum locum, ubi Minerva eum ex tentorio evocat, nonnisi eccyclematis opera conspeximus, ac sequitur nunc ea fabulae pars, de qua in partes diversissimas disputarunt viri docti, quorum alii simulata dicunt illa Ajacis verba (sunt etiam, qui*) acerbissimam iis inesse arbitrentur sui ipsius irrisionem); alii et maxime Welckerus**) probare student Ajacis animum esse vere mutatum. In eo omnes consentiunt, eum ad mortem esse profecturum, quod ipsius fabulae verbis comprobari videtur.

Circumspiciens ego quid in Atheniensium historia tanti momenti fuerit, ut internecionis loco possit haberi, nihil inveni aptius, quam expeditionem illam contra Syracusanos factam, qua opes Atheniensium sunt fractae.

Inter expeditionem autem hanc Siciliensem et pestilentiam illam complures anni praeterierunt, id quod poeta significat his verbis:

---

*) cf. Benloev. l. l. pg. 22. sq. **) l. l. pg. 311. sqq. Gruppius (Ariadne pg. 196. sq.) Ajacem moriendi consilium, quod abjecisset precibus Tecmessae motus, recepisse existimat, illa (v. 686.) in tentorium inclusa.

Ἅπανϑ' ὁ μακρὸς κἀναρίϑμητος χρόνος
φύει τ' ἄδηλα καὶ φανέντα κρύπτεται·

quae quidem verba nunc demum satis intelligi possunt. Idem nobis etiam in sequentibus accidit verbis:

κοὐκ ἔστ' ἄελπτον οὐδέν, ἀλλ' ἁλίσκεται
χὡ δεινὸς ὅρκος χαὶ περισκελεῖς φρένες.

Ajax igitur non solum mentem revera mutavit, sed etiam manum sibi ad mortem jam sublatam non intulit.

κἀγὼ γάρ, ὃς τὰ δείν' ἐκαρτέρουν τότε,

Illo tempore, ante hos praecedentes annos, quo malorum vim patiebatur, hoc dicit sibi accidisse:

βαφῇ σίδηρος ὥς, ἐϑηλύνϑην στόμα
πρὸς τῆσδε τῆς γυναικός, οἰκτείρω δέ νιν
χήραν παρ' ἐχϑροῖς παῖδά τ' ὀρφανὸν λιπεῖν.

Non mirabimur igitur, quod nunc, interjectis tot annis, alius factus videtur Ajax. Ut respublica Atheniensium paullatim a pestilentiae malis se refecit*), sic etiam Ajax mala illa priora tulit et mulieris precibus commotus in vita manere statuit, quod poeta, sicut multa, obscure significavit, ne aut fabulae cohaerentia interrumpatur, aut suas res agi Athenienses suspicentur. Nunc primum Ajax prudentior factus est, quod v. 678. ipse dicit:

ἐγὼ δ' ἐπίσταμαι γὰρ ἀρτίως κ. τ. λ.

Pergit Ajax: Ἀλλ' εἶμι πρός τε λουτρὰ καὶ παρακτίους
λειμῶνας,

Nunc etiam, postquam moriendi consilium abjecit, cum Dea in gratiam est rediturus et ensem istum, quem putat malorum sibi causam esse, loco quodam abdito in terra condere vult, quo facto fortuna secunda existimat se usurum. Tum primum dicit Diis se obtemperaturum esse atque obsecuturum iis, penes quos est summum imperium. Excusare tum studet compluribus exemplis a rerum natura sumptis animi sui mutationem. Ad Athenienses autem, quos repraesentat, his verbis se convertit:

v. 677. ἡμεῖς δὲ πῶς οὐ γνωσόμεσϑα σωφρονεῖν;

atque iis, quae ipse expertus est, hoc demonstrare studet:

ἐγὼ δ' ἐπίσταμαι γὰρ ἀρτίως, ὅτι
ὅ τ' ἐχϑρὸς ἡμῖν ἐς τοσόνδ' ἐχϑαρτέος, κ. τ. λ.

Civibus suis temperantiam et perturbationum animi sedationem commendat, cum et inimicitiae tandem aliquando dissolvantur, et amicitiae**) non in omne tempus per-

---

*) Thuc. VI, 26. ἄρτι δ' ἀνειλήφει ἡ πόλις ἑαυτὴν ἀπὸ τῆς νόσου καὶ τοῦ συνεχοῦς πολέμου κ. τ. λ.

**) Num poeta h. l. ἑταιρίας, quae Athenis illo tempore fuere, in animo habuerit, necne, cum non verbo hoc absolvi posse videatur, in medio nunc relinquo.

maneant. Verba *ἀλλ' ἀμφὶ μὲν τούτοισιν εὖ σχήσει* equidem ad Deos et Atridas refero, quibus, cum intellexerit eos vinci non posse, cedendum et morigerandum esse censet, quamquam aegre hoc facit, quod ostendit v. 692. *κεἰ νῦν δυστυχῶ.* Nunc ad ea transit, quae a Tecmessa*) et choro vult fieri. Tecmessam enim jubet Diis supplicare**), ut id, quod ipse in animo habet, prospere cedat, sociis idem imperat et ut a Teucro adveniente curam ipsius suique benevolentiam postulent. Se enim constitutum iter ingressurum, socios autem de ipsius salute, quamvis nunc quidem afflictus sit, fortasse brevi tempore factum iri certiores.

Ultimi versus sine dubio ad expeditionem Siciliensem spectant, quamquam non diffiteor ambiguitatem quandam iis inesse, ut significetur quodammodo illius expeditionis eventus. Sperabant Athenienses fore, ut, victa et subacta Sicilia, universae Graeciae imperio potirentur***), quod si consecuti essent, recte noster Ajax *σεσωσμένος* fuisset. Teucer autem hoc loco fabulam iterum suscipit Trojanam et commode, ejus mentione facta, sequentia adnectuntur.

Abit Ajax cum laeta sociorum exspectatione, sicut classem Atheniensium omnium, qui remanserunt, summa prosperi eventus spes prosecuta est†).

Carmen choricum summam sociorum Ajacis exprimit laetitiam, quod Ajax nunc demum est ex diuturnis malis recreatus; ac non sine causa Apollinis numen, a quo pestilentiam missam esse existimabant, invocatur:

ἐμοὶ ξυνείη διὰ παντὸς εὔφρων.

Sed ne nimis dilucida et perspicua fiat oratio, altera chori pars ad Martem recurrit, quem v. 178. malorum auctorem esse idem suspicatus est. Cum vero in nostra fabula Minerva insaniam injecerit Ajaci, haec potius inferenda fuit; atque, si praeterea testimonio opus est, haec ipsa Deorum commutatio docet nec Minervam, nec Martem poetae in animo fuisse, sed Apollinem, de quo supra diximus.

Verba: *νῦν ὦ Ζεῦ, πάρα λευκὸν εὐάμερον πελάσαι φάος*
θοᾶν ὠκυάλων νεῶν scholiasta interpretatur: *νῦν πάρεστιν ἡμέρα λαμπρὰ ἡμῖν, ὥστε ἐγγίσαι τῶν νεῶν.* Sunt Atheniensium hae naves in Siciliam profecturae. Ajax, calamitatis oblitus, Diis rite sacra fecit, et quod v. 654 facturum

---

*) quam simul cum Ajace in scenam rediisse puto, quod patet ex verbis: *πρὸς τῆςδε τῆς γυναικός.*

**) De precibus Atheniensium vide Thuc. VI, 32.

***) Alcibiades apud Thuc. VI, 18. ita dicit: *καὶ ἅμα τῆς Ἑλλάδος τῶν ἐκεῖ* (sc. *ἐν Σικελίᾳ*) *προςγενομένων πάσης τῷ εἰκότι ἄρξομεν.*

†) ibid. c. 31. extr. *ἐπὶ μεγίστῃ ἐλπίδι τῶν μελλόντων πρὸς τὰ ὑπάρχοντα ἐπεχειρήθη.*

se dicit, id nunc a choro dicitur fecisse*). Iterat chorus, quod de temporis diuturnitate atque ejus in mutandam rerum condicionem vi supra dixit Ajax, ut cumulate moneamur inter superiora illa et ea, quae nunc aguntur, longius intercessisse tempus**):

πάνϑ' ὁ μέγας χρόνος μαραίνει·

nec quidquam choro videtur inauditum, ex quo Ajax praeter exspectationem mentem suam mutaverit atque iram in Atridas deposuerit.

Descripsit poeta intestinum reipublicae statum, qualis fuerit ante bellum Siciliense, neque historia tacet de rebus modo expositis. Anno enim 422. Athenienses cum Spartanis in quinquaginta annos pacem composuerunt et foedus etiam fecerunt, quod et ab archontibus ac ducibus Atheniensium et a regibus atque ephoris Spartanorum jurejurando est confirmatum.

Notum est Lacedaemonios in Siciliam et auxilia et ducem Gylippum misisse, atque hunc ad delendas Atheniensium copias non minimum contulisse. Itaque novum susciperent Athenienses Lacedaemoniorum odium necesse erat, quod tantarum opum excidium maxime horum opera erat factum. Huc referenda sunt Ajacis verba v. 838.

πρὸς τῶν 'Ατρειδῶν ὡς διόλλυμαι τάλας.

Iam vero quod Ajax, postquam abiit, a Calchante impietatis in Deos accusatur, id, ut omittamus, quod supra attulimus ex Thuc. I, 126., etiam apud Athenienses est factum. Alcibiadem enim dixerunt Hermas violasse ac profanasse initia Eleusinia***) et absentem eum accusarunt. Et hoc quidem delictum quod paullo ante profectionem commissum est, *τοῦ ἔκπλου οἰωνὸς ἐδόκει εἶναι καὶ ἐπὶ ξυνωμοσίᾳ ἅμα νεωτέρων πραγμάτων καὶ δήμου καταλύσεως γεγενῆσϑαι* †).

Nuntius post chori cantum intrat et Teucrum indicat ex Mysia modo advenisse, praetorium autem in mediis castris positum petenti ei ab omnibus Argivis esse maledictum, ac paene lapidibus eum obrutum esse eoque rem progressam, ut utrimque gladii stringerentur, donec intercedentibus senibus controversia dirimeretur.

Nunc igitur Teucer in via est, ut reipublicae partes suscipiat et ob rem desperatam fortior, quam robustior in Ajacis locum succedat. Eadem quidem civitas sub imagine duorum virorum hic depingitur, sed revera non jam est eadem, sed alia facta bello Siciliensi. Prior illa respublica viribus pollebat, haec, fractis opibus, mortuae similis adversariorum arbitrio obnoxia est, nisi, quod ex tanta clade reliquum est virium, ad hostes arcendos summa cum contentione adhibetur; et hanc dimicationem, qua in discrimen vocatur reipublicae salus††), Sophocles, quoad hoc verbis in scena

---

*) de sacrificiis Atheniensium ad bellum proficiscentium v. Thuc. VI, 32.

**) cf. etiam v. 925. sq. ἔμελλες, τάλας, ἔμελλες χρόνῳ κ. τ. λ.

***) Thuc. VI, 27. sq. †) ibid. 27.

††) descripsit eam Thuc. libr. VIII.

fieri potest, lite illa inter Teucrum et Atridas descripsit. Impetus autem Argivorum in Teucrum factus (a v. 721 -- 732.) ideo a poeta inventus est, ut reliquorum Graecorum animus in Athenienses appareret *).

Nuntius a Teucro praemittitur, ut ipsius adventum nuntiet, cum ipse ante Ajacis mortem in conspectum venire non possit, et ut apte ea, quae sequuntur, cum praecedentibus cohaereant. Ita enim de Ajace moniti et Tecmessa et chorus se proripiunt, ut a morte eum retineant; qui interemtum denique reperiunt. Quod de Minervae ira Calchas narratur dixisse, quae solo hoc die Ajacem persequatur: ipse poeta his versibus suam sententiam videtur dicere et improbare expeditionem istam tanquam fatalem et Deorum nondum omni ex parte placatorum auctoritate susceptam, ut, si revocari ab eo consilio Athenienses potuissent, brevi tempore pristinum florem restituissent reipublicae. Et sic non obscuri nobis erunt vv. 745. sq.

ταῦτ' ἐστὶ τἄπη μωρίας πολλῆς πλέα,
εἴπερ τι Κάλχας εὖ φρονῶν μαντεύεται.

Chorus enim nescit Ajacem ad mortem discessisse. Repetit deinde Calchas ea, quae aliis verbis et a Minerva (v. 127. sqq.) et a choro (635. sqq.) supra dicta sunt, et, ut ostendat, qua ratione Ajax cum in Deorum, tum in Minervae invidiam inciderit, duo affert exempla insolentiae ejus οὐ κατ' ἄνθρωπον φρονοῦντος. Vates fore sperat, ut Ajax, nisi ipse hic dies ei fatalis fuerit, post eum diem Deorum veniam impetret. Cum autem abierit Ajax, nuntii verba et choro et Tecmessae, quam chorus ex tentorio evocat, summum injiciunt terrorem, et jubente Tecmessa tripartitus chorus simul cum ea Ajacem quaerit. ἠπατημένην se dicit Tecmessa καὶ τῆς παλαιᾶς χάριτος ἐκβεβλημένην, quod simulatam nunc putat illius, quae vera fuit animi commutatio**); atque ut nullum puto fore, qui Athenienses eo consilio in Siciliam profectos esse dicat, ut in perniciem adducerent rempublicam, sed ad restituendas suas res afflictas: sic neque Ajax putandus est moriendi consilio discessisse, sed ut sincero animo Deos placaret.

Mutatur nunc scena, et in conspectu est locus desertus in litore hostili. Adstat Ajax, qui ensem ab Hectore***) acceptum in hostium terra collocavit, cote denuo acutum paratissimumque ad mortem ipsi parandam. Infra v. 1002. sqq. de eadem re Teucer loquitur et Hectorem addit cingulo eo, quem ab Ajace dono acceperat, Achillis currui esse alligatum. Quod cum ab Homero†) aliter narretur, neque ego adduci

*) Thuc. VIII, 2. sq.

**) cf. etiam v. 967. sqq.

***) Il. VII, 303. sqq. ὣς ἄρα φωνήσας δῶκε ξίφος —
Αἴας δὲ ζωστῆρα δίδου —

†) Il. XXII, 396. sqq.

possim, ut Sophoclem Homericae narrationis ignarum illud credam scripsisse: causa quaerenda mihi videtur, cur ab illo differat noster poeta; nam sine causa id factum esse vix crediderim. Et quamquam in praesentia non in promptu est, quo referam hanc narrationem, certe, ut priora illa, in quibus ab antiquiore fabula poeta discedit, tantummodo ad rem propositam accommodavit, sic etiam haec Atheniensium rebus gestis videtur aptasse. Quid? Si in eo ipso, quod cingulus iste dicitur Hectori perniciei fuisse, cum non cingulo, sed loro bubulo Hector alligatus currui Achillis ab Homero dicatur, rei cardinem inesse existimemus? Si, quam rem Sophocles aliter prodidit, atque Homerus, eam nullam fuisse nobis videatur significare, ut sola ea fabulae pars, quae conveniat cum Homero, ad rem vere gestam spectet? Conjectura tamen assequor Egestanos Hectoris nomine dici, qui teste Thucydide *) a Trojanis originem duxerunt, et de quibus Nicias in contione Atheniensium haec **) dicit: *Ἀντιπαρακελεύομαι -- τὸ λοιπὸν ξυμμάχους μὴ ποιεῖσθαι, ὥσπερ εἰώθαμεν, οἷς κακῶς μὲν πράξασιν ἀμυνοῦμεν, ὠφελείας δ' αὐτοὶ δεηθέντες οὐ τευξόμεθα.* Cum porro sciamus ab iisdem Egestanis ***) paucis post annis (409.) Carthaginienses arcessitos duce Hannibale, Amilcaris nepote, Selinuntem et Himeram excidisse, ut nullas Egestani belli moti poenas videantur dedisse: nihil obstat, quominus et foedus †) Atheniensium cum Egestanis existimemus esse Hectoris gladium, et ob rem ab Homeri fabula discrepantem a Sophocle etiam hanc fabulam aliter esse confictam.

Atheniensibus igitur foedus cum Egestanis factum, si rata est nostra opinio, perniciem attulit, sicut Ajaci ensis ab Hectore donatus; et quoniam sua sponte Athenienses bellum illud susceperunt, ita etiam Ajax manum sibi infert. Illi bonis auspiciis ††) profecti sunt: Ajax discedens bonam suis de se spem fecit; illi, spe praecisa, occiduntur inviti: hic quoniam eo consilio abire videtur, ut se interimat, usque ad nostra tempora a viris doctis creditus est ad mortem utcunque subeundam se contulisse. At vero Ajaci nec consilium est moriendi, nec, dum mortem ultro sibi consciscit, sua sponte moritur, sed *πρὸς τῶν Ἀτρειδῶν διόλλυται τάλας.* Ob eam causam etiam Eumenides invocat, et suo jure locum hic habent illi versus codicum auctoritate defensi:

Καί σφας (sic Wund; mihi *καὶ σφᾶς* placet) *κακοὺς κάκιστα καὶ πανωλέθρους ξυναρπάσειαν, ὥσπερ εἰσορῶσ' ἐμὲ*

---

*) VI, 2. **) Thuc. VI, 13.

***) Diodor. l. 13.

†) Ita commode gladius dicitur *νεοκονής*, quod foedus cum Trojanorum posteris facere idem est, ac gladium istum ab Hectore datum acuere.

††) Thuc. VIII, 1. *ὠργίζοντο δὲ καὶ τοῖς χρησμολόγοις τε καὶ μάντεσι καὶ ὁπόσοι τι τότε αὐτοὺς θειάσαντες ἐπήλπισαν, ὡς λήψονται Σικελίαν.*

αὐτοσφαγῆ πίπτοντα, τὼς αὐτοσφαγεῖς
πρὸς τῶν φιλίστων ἐκγόνων ὀλοίατο.

Nulla hic fabulae antiquae facta est mentio, sed ad praesens ac futurum tempus haec spectant*). Non miramur, quod Ajax dicit: γεύεσθε, μὴ φείδεσθε, πανδήμου στρατοῦ, sunt enim contra odiosissimos Peloponnesios et maxime contra Lacedaemonios dicta haec verba, quorum opera ipsi Athenienses in perniciem sunt adducti. Atque ut constet sibi poeta et consilium suum ex praecedentibus verbis nimis apparens occultet, his iterum adspergit fabulam antiquam. Valere jubet Ajax patrem et matrem, Mortem vocat, pluribus verbis appellat Solem, et

v. 856. σὲ δ', ὦ φαεννῆς ἡμέρας τὸ νῦν σέλας,
καὶ τὸν διφρευτὴν Ἥλιον προσεννέπω,
πανύστατον δή, κοὔποτ' αὖθις ὕστερον·
ὦ φέγγος —

ad splendorem referas reipublicae Atheniensium brevi post tempore exstinctum. Quod Ajax tum dicit:

ὦ γῆς ἱρὸν οἰκείας πέδον
Σαλαμῖνος, ὦ πατρῷον ἑστίας βάθρον,
κλειναί τ' Ἀθῆναι, καὶ τὸ σύντροφον γένος, —

idem v. 135. sq. his verbis expressit:

τῆς ἀμφιρύτου
Σαλαμῖνος ἔχων βάθρον ἀγχιάλου, —

Utroquo loco solas Athenas dicit, neque ἀγχιάλου artificiosa quadam interpretatione ad urbem Salamina prope mare sitam est referendum. Illud καὶ τὸ σύντροφον γένος ad reliquos Athenienses respicit, quorum partes mox suscipiet Teucer Ajax in gladium incidit. Perdita est Atheniensium res. Nuntio de clade Siciliensi accepto maximus terror Atheniensibus injectus est, contra hostes eorum laetitia exsultaverunt, et si qui adhuc timore adducti otiosi fuerunt, omnes tunc in Atheniensium rempublicam evertendam et excidendam conspiravere. Atque ita, ut repetam, quod Jacobus dicit pg. 182.

> litem omnem in ea quaestione verti, cur Sophocles Atridas adeo infensos Ajaci finxerit, ut de eo sepeliendo haec oriri posset disceptatio: exposuisse mihi videor gravissimas exstare causas, cur tam infestos Ajaci poeta fecerit Atridas.

Neque aliter poeta hoc Graecorum odium in Athenienses conceptum explicare potuit, quam ut illam litem fingeret de Ajacis sepultura. Ex Thucydide**) autem cognoscimus Lacedaemonios statim post illam cladem bellum parasse contra Athenienses.

---

*) Et quoniam haec ad praesentiam sunt referenda, mentio Ulyssis non est facta, cujus personam supra diximus ex antiqua fabula desumptam. **) VIII, 3.

Ajax mortuus a Tecmessa invenitur κρυφαίῳ φασγάνῳ περιπτυχής. Multa sunt in proximis verbis, quae ad res in praesentia gestas respiciunt; ea, ne longiores simus in scribendo, quamquam aegre hoc faciemus, omittemus, et quae nobis graviora visa sunt, paucis exponemus.

Quae Tecmessa, chorus et postea Teucer de Ajacis morte conqueruntur, iis reipublicae post cladem illam plangorem significari manifestum est, et quod servitutem timent (v. 944. sqq.), id in memoriam nobis revocat Thucydidis illud*) ἀνέλπιστοι ἦσαν ἐν τῷ παρόντι σωθήσεσθαι. Deorum opera in his tantis malis se jacere Tecmessa identidem dicit:

v. 950. οὐκ ἂν τάδ' ἔστη τῇδε, μὴ θεῶν μέτα.
952. τοιόνδε μέντοι Ζηνὸς ἡ δεινὴ θεὸς
Παλλὰς φυτεύει πῆμ' Ὀδυσσέως χάριν.
970. θεοῖς τέθνηκεν οὗτος, οὐ κείνοισιν, οὔ.

Teucrum Ajacis partes suscipere poeta significat verbis:

v. 980. ὤμοι βαρείας ἆρα τῆς ἐμῆς τύχης.

Cognoscit Teucer periculi magnitudinem et statim Ajacis puerum adduci jubet et omnes, qui Ajaci sunt amici, ad depellendum commune periculum in unum locum vult convenire; et quod in universa fabula factum videmus, ut, ubi liberior fuit oratio, ibi antiqua fabula intercederet, id poeta est usque ad finem tragoediae persecutus. Deos Ajaci mortem praestituisse, etiam Teucer dicit

v. 1036. ἐγὼ μὲν οὖν καὶ ταῦτα καὶ τὰ πάντ' ἀεὶ
φάσκοιμ' ἂν ἀνθρώποισι μηχανᾶν θεούς.

Hic iterum poeta censendus est sententiam dicere „Atheniensium rempublicam a Diis „in perniciem vocatam esse, quod cives ejus humanitatis obliti animis fortuna secunda „inflatis et tumentibus non solum hominum susceperant invidiam, sed etiam in Deorum „incurrerant offensionem. Atque haec exemplo esse humanas res a Diis administrari.“ Addit poeta:

ὅτῳ δὲ μὴ τάδ' ἐστὶν ἐν γνώμῃ φίλα,
κεῖνός τ' ἐκεῖνα στεργέτω κἀγὼ τάδε.

In conspectu jam est Spartanus, quare chorus Teucrum hortatur, ut sepulturae consulat Ajacis. Sequitur nunc acerbissima illa controversia, qua et docet poeta, quid a tali hoste sit exspectandum, et ulciscitur quodam modo injuriam civibus suis a Spartanis illatam. Sed castigat etiam poeta divinus et ab omni partium studio alienus Atheniensium delicta, quod primis jam verbis Menelai fieri videmus. Omne autem illud diverbium legentibus si ante oculos est Atheniensium et Spartanorum, quae belli Peloponnesiaci tempore fuit condicio, longe alia nobis videbitur illa controversia. Et quod in mentem

---

*) VIII, 1.

mihi hic venit Bernhardii sententia, qui Sophoclem censet Homeri Iliadem secutum esse: ego, nisi praestaret dicere recentem rerum gestarum memoriam utrique communem fuisse fontem, Thucydidem existimarem facem praetulisse Sophocli. Recte viderunt viri docti aliam esse Teucri litem cum Agamemnone, quam cum Menelao. Nec mirum; hic enim ex praesenti temporum statu est desumptus, illius persona est fabulae antiquae. De Ajacis laudibus a Teucro inde a v. 1273. celebratis supra diximus. De singulis unum hoc monitum volo, quod Agamemnon Teucrum v. 1228. appellat *τὸν ἐκ τῆς αἰχμαλώτιδος* et v. 1260. eum jubet *ἄλλον τιν' ἄγειν ἄνδρα δεῦρ' ἐλεύθερον*, quibus addit in fine sermonis sui: *τὴν βάρβαρον γὰρ γλῶσσαν οὐκ ἐπαΐω*, — laudandum videtur, quod est apud Thucydidem*) in oratione Corinthiorum: *μὴ μέλλετε Ποτιδαιάταις τε ποιεῖσθαι τιμωρίαν οὖσι Δωριεῦσι καὶ ὑπὸ Ἰώνων πολιορκουμένοις, οὗ πρότερον ἦν τοὐναντίον, καὶ τῶν ἄλλων μετελθεῖν τὴν ἐλευθερίαν.* Hinc patet Peloponnesios Athenienses, ab Jonibus originem ducentes, non eodem secum loco habuisse.

Ut ab initio fabulae Ulysses quasi prooemii loco fuit, sic ejus persona optatius nihil venire potuit ad fabulam via ac ratione finiendam. Ajacis sepultura spectatorum religioni poeta satisfacit, et uti ab antiqua fabula orditur, sic indidem etiam conclusio est petita. Clausula autem illa

> Multa sane mortales oculis videntes cognoscere possunt; antequam autem vidit, nemo est, qui vaticinetur, qualis futuro tempore futura sit rerum condicio.

quid aptius dici possit, non video, uti nos etiam dicimus: Wer hätte gedacht, daß es so kommen würde!

Restat, ut dicamus, quatenus nobis posterior fabulae pars historiae vestigia sequi videatur, et quid de tempore judicemus, quo docuerit fabulam poeta.

Ut breviter dicam, quod sentio, bipartita praesto est interpretatio. Aut poetam Ajace mortuo statuendum est ab historia discessisse et reliqua, quae ita fore ex praesenti rerum statu efficere potuit, esse quasi vaticinatum, quae sententia aliqua ex parte eo confirmatur, quod Teucri verba inde a v. 1266. consentire videntur cum legatorum Atheniensium oratione in contione Peloponnesiorum, antequam exarsit bellum, habita**); et sic Ajacis exsequiae videbuntur additae, ut et acquiescat in iis spectatorum religio, et fabula commode possit finiri; aut, si malumus depingi Atheniensium rempublicam usque ad id tempus, quo a populo ad paucos quosdam summum imperium transiit, quae quidem interpretatio mihi praeferenda videtur, tum Ajacis sepultura ita explicanda erit, ut libera respublica, bello Siciliensi quasi vitae luce privata, denique efferatur atque

*) I, 124.

**) Thuc. I, 73. sqq. qua de re prius diximus.

ejus nomen tollatur. Legimus autem apud historicos Athenis anno 411.*) decemviros (ξυγγραφῆς Thuc.) reipublicae melius constituendae creatos esse, atque ab his imperium quadringentorum virorum esse institutum, quod primum Agis, Lacedaemoniorum rex, repudiavit, tum, legatis a quadringentis illis iterum Deceleam missis, comprobavit, legatos mittendos censens Lacedaemonem de pace restituenda**). Quarum explicationum qui priorem amplectitur, is fabulam anno 413. editam censebit, quo Sophocles teste Aristotele (l. l.) inter probulos illos fuit, ac poeta, quem optimatium imperio favisse supra diximus, et docere videbitur, qua ratione respublica in perniciem sit adducta, et monere, aliam nunc ad eam conservandam ingrediendam esse viam. Qui alteram sententiam sequi mavult, is fabulam necesse est, ut rata sit illa sepulturae interpretatio, datam esse existimet intra paucos illos anni 411.***) menses, quibus penes quadringentos fuit summa potestas; quae quod paullo post iis est abrogata, noluerim ultra hoc imperium fabulam transferri, ne ab inferis potius revocatus, quam sepultus videatur Ajax. Mihi quidem, ut supra dixi, haec explicatio prae altera illa placet, et poeta docere videtur tantum abfuisse, ut libera respublica Atheniensibus saluti esset, ut in summum eos adduceret omnium rerum discrimen. Qualis rerum condicio praeferenda sit, non aperte dicit, sed sapienti sat. Quanta autem sit poetae in hac re docenda ars, quanta ejus prudentia, ut et aetatis suae res gestas adumbret et antiquissimi temporis quasi fuco verum suum consilium obtegat, non sine summa admiratione studiosissimus quisque Sophoclis lector et investigator ex scriptis ejus monumentis maxime intelliget et cognoscet.

---

*) cf. Wachsmuthii Hellenische Alterthumskunde ed. II. tom. I. pg. 651. sqq. Quid autem intersit inter προβούλους Aristotelis, quos sec. Thuc. VIII, 1. statim post nuntium de clade Siciliensi acceptum Athenienses instituerunt, et ξυγγραφέας, de quibus verba fecit idem Thuc. VIII, 67., vide Wachsmuthium tom. I. pg. 634. not. 156.

**) Thuc. VIII, 71.

***) Cum poetam constet anno 406. mortuum esse, ea, quae post hunc annum gesta sunt, a fabula nostra abhorrere, vix est, cur moneam.

4*

Schulnachrichten.

I. Lehrverfassung des Gymnasiums zu Oels von Ostern 1846 bis Ostern 1847.

A. Prima. Ordinarius: der Director.

1) Sprachunterricht.

Lateinisch, 9 Stunden wöchentlich. Der Director leitete die Lectüre des Cicero (Divin. in Caecilium. Verrin. Act. I. et II. bis in das 2. B.) in 3 St., des Tacitus (Hist. II. u. III.) in 1 St. und des Horaz (Od. I. u. II. u. Satir. I. u. II.) in 2 St. Bei der Erklärung der Schriftsteller wurden die Primaner im Lateinisch-Sprechen geübt. Derselbe widmete ferner 1 St. den Memorirübungen, 1 St. der Wiederholung der Syntax nach Zumpt und ließ in 1 St. Extemporalien schreiben. Die Zurückgabe der korrigirten Extemporalien, häuslichen Exercitien und der Aufsätze geschah in der für die Extemporalien und in der für die Syntax bestimmten Stunde.

Griechisch, 6 Stunden wöchentlich. Der Oberlehrer und erste Kollege Dr. Böhmer leitete die Lectüre des Herodot (1stes u. 5tes B.) in 2 bis 3 St., und widmete 1 bis 2 St. dem Vortrag der Syntax nach Buttmann (von den modis bis zu Ende) und den schriftlichen Arbeiten. — Der Director ließ die Iliade (XVIII — XXII.) in 2 St. übersetzen.

Deutsch, 3 Stunden wöchentlich. Der Königliche Collaborator Rösler trug in 1 St. im Sommer Poetik, im Winter die Lehre von den Dichtungsarten Epos und Lyrik nach eigenem Hefte vor, leitete in 1 St. die freien Vorträge und die Deklamation und widmete 1 St den Aufsätzen.

Französisch, 3 Stunden wöchentlich. Der Prorector, Prof. Dr. Lindau hat in 2 St. mehrere Abschnitte aus dem Menzelschen Handbuche und den Mahomet von Voltaire übersetzen lassen; 1 Stunde verwendete er auf Extemporalien und häusliche Exercitien. Sprechübungen fanden in allen Lectionen statt.

Hebräisch, 2 Stunden wöchentlich. Der Prorector Dr. Lindau ließ die Bücher der Könige, (von I. c. 12 bis II. c. 5.) und einige Psalmen übersetzen, trug die Syntax nach Gesenius vor und ließ wöchentlich ein Exercitium (nach Uhlemann, 2ter Cursus) schreiben.

2) Wissenschaftlicher Unterricht.

Religion, 2 Stunden wöchentlich. Der Oberlehrer Dr. Böhmer trug in 1 St. Geschichte des Reiches Gottes alten und neuen Bundes mit besonderer Berücksichtigung der Reformationsgeschichte vor nach Liscov u. Petri und leitete die Religionsaufsätze; in 1 St. ließ er den 2. Korintherbrief, einige Abschnitte aus dem 1. Galaterbriefe und das Evangelium Johannis aus dem Griechischen übersetzen und Bibelsprüche lernen. Auch wurden 9 Lieder aus dem hiesigen Gesangbuche memorirt und der Luthersche Katechismus regelmäßig wiederholt.

Mathematik, 4 Stunden wöchentlich. Der Conrector Dr. Bredow trug im Sommer den zweiten Theil der Stereometrie, die Lehre von den prismatischen und pyramidalischen Körpern sowie von der Kugel nach eigenem Compendium vor und ließ den Inhalt der Körper durch viele Beispiele schriftlich berechnen. Im Winter wiederholte Derselbe in 2 St. wöchentlich alle Theile der Mathematik, wobei Beispiele berechnet und Ausarbeitungen über einzelne Theile angefertigt wurden. In 2 andern Stunden trug er geometrische Analysis vor und ließ nach Gerwin und Holleben schriftliche Aufgaben berechnen.

Physik, 1 Stunde wöchentlich. Der Conrector Dr. Bredow trug im Sommer Optik, im Winter nach vorausgeschickter Einleitung in die Physik Mechanik der festen Körper nach Fischers Lehrbuch der mechanischen Naturlehre vor.

Naturbeschreibung, 1 Stunde wöchentlich. Der Conrector Dr. Bredow trug im Sommer Botanik (Kennzeichenlehre und Systemkunde) vor nach Bischofs Lehrbuch der Botanik und mit Benutzung der Wandtafeln zu Fischers Naturbeschreibung. Im Winter trug Derselbe mathematische Geographie und die Hauptlehren der Astronomie nach Brandes vor.

Geschichte, 3 Stunden wöchentlich. Der Collaborator Rösler trug im Sommer neue Geschichte vom westphälischen Frieden bis zur zweiten französischen Revolution, im Winter Geschichte des Mittelalters von vorn bis auf den Anfang der Kreuzzüge vor mit Berücksichtigung der historischen Geographie und der deutschen Staats- und Rechtsgeschichte. Außerdem wurde in 1 (freiwilligen) Extra-Stunde von Ostern bis Weihnachten die alte Geschichte repetirt.

Geographie, 1 Stunde wöchentlich. Der Collaborator Rösler trug im Sommer Afrika und Australien in physischer und politischer, im Winter Amerika in politischer Hinsicht vor.

Philosophische Propädeutik, 1 Stunde wöchentlich. Der Oberlehrer Dr. Böhmer trug Psychologie und Logik nach Matthiä und Beck vor.

B. Secunda. Ordinarius: Conrector Dr. Bredow.

1) Sprachunterricht.

Lateinisch, 8 Stunden wöchentlich. Der dritte Kollege Dr. Kämmerer las

Ciceros Catilinarische Reden in 3 St. und im Sommer das 1ste Buch und einen Theil des 2ten der Aeneide, im Winter das 26ste Buch des Livius in 2 St., trug in 1 St. Syntax nach Zumpt (von den modis bis zu Ende) vor und ließ aus Süpfle's Handbuch übersetzen, widmete 1 St. der Uebung in lateinischen Hexametern und Pentametern und 1 St. den Extemporalien und den häuslichen Exercitien. Geeignete Stücke aus dem Cicero und hauptsächlich die Extemporalien wurden zu den Memorirübungen benutzt.

Griechisch, 6 Stunden wöchentlich. Der vierte Kollege Rehm ließ Xenophons Historia Graeca (5tes u. 6tes B.) in 2 St. übersetzen und einige Stücke auswendig lernen, repetirte die Formenlehre, trug die Syntax nach Buttmann (von vorn bis zu den modis excl.) in 1 St. vor und widmete 1 St. den schriftlichen Arbeiten. — Der Director ließ die Odyssee (16tes bis 18tes B.) in 2 St. übersetzen.

Deutsch, 3 Stunden wöchentlich. Der Collaborator Rösler trug im Sommer in 1 St. Prosodie und Metrik nach Heyse, im Winter die Lehre von den Redefiguren vor, 1 St. widmete er der Deklamation und den freien von den Schülern gefertigten Vorträgen und 1 St. den schriftlichen Aufsätzen.

Französisch, 3 Stunden wöchentlich. Der Oberlehrer Dr. Böhmer ließ in 1 St. den Montesquieu (Considérations sur la grandeur etc.) übersetzen, in 1 St. aus dem Deutschen nach Hirzels Grammatik übersetzen, womit Memorir= und Sprechübungen verbunden waren, und widmete 1 St. der Grammatik (nach Hirzel) und den schriftlichen Arbeiten. — Realklasse, 2 Stunden wöchentlich. Derselbe ließ im Sommer und der Collaborator Rösler im Winter Le Vaillants Reise durch Afrika übersetzen und verband damit Sprech= und Memorirübungen.

Hebräisch, 2 St. wöchentlich. Der Prorector Dr. Lindau ließ aus Gesenius Lesebuche übersetzen, übte die Formenlehre nach Gesenius ein und ließ wöchentlich ein Specimen nach Uhlemanns erstem Cursus schreiben.

2) Wissenschaftlicher Unterricht.

Religion, 2 Stunden wöchentlich. Der Oberlehrer Dr. Böhmer trug in 1 St. im Sommer Einleitung in das Neue Testament, im Winter Moral nach Kniewel und Petri vor. Die Vorträge wurden von den Schülern zu Hause ausgearbeitet. Derselbe ließ in 1 St. das Evangelium Matthäi und Marci aus dem Griechischen übersetzen und verband damit das Auswendiglernen von Bibelsprüchen. Auch wurden 10 Lieder aus dem hiesigen Gesangbuche memorirt und der Luthersche Katechismus, je ein Hauptstück in jeder Stunde, repetirt.

Mathematik, 4 Stunden wöchentlich. Der Conrector Dr. Bredow trug im Sommer die arithmetischen und geometrischen Reihen, die Permutationen, Combinationen, Variationen und den binomischen Lehrsatz nach eigenem Leitfaden vor. Im Winter repetirte Derselbe die Planimetrie mit Ergänzungen (besonders Ausmessung der Figuren und Kreisberechnung) nach eigenem Leitfaden. Die Schüler wurden in beiden Semestern zugleich durch

viele Beispiele und schriftliche Aufgaben geübt. — Realklasse, im Sommer 2 Stunden wöchentlich. Derselbe trug den zweiten Theil der Stereometrie (prismatische und pyramidalische Körper und die Kugel) nach eigenem Compendium vor.

Physik und Naturbeschreibung, 2 Stunden wöchentlich. Der Conrector Dr. Bredow trug im Sommer angewandte Naturlehre nach Kries Lehrbuch der Physik vor. Im Winter trug Derselbe zuerst Meteorologie vor und gab dann einen systematischen Ueberblick über die gesammte Naturbeschreibung.

Chemie, 2 Stunden wöchentlich. Realklasse von Secunda und Tertia. Der Conrector Dr. Bredow trug aus der anorganischen Chemie die Lehre von den Metallen und dann die Elemente der organischen Chemie mit Beziehung auf technische Anwendung vor. Das Handbuch von Sadebeck ist in den Händen der Schüler. Ueber einige Gegenstände wurden Ausarbeitungen gemacht und Tabellen zur Uebersicht angefertigt. Der chemische Apparat ward zu Experimenten benutzt.

Geschichte, 3 Stunden wöchentlich. Der Collaborator Rösler trug im Sommer die älteste Geschichte von Asien, Aegypten, Griechenland und Karthago bis auf Darius I., im Winter griechische Geschichte von den Perserkriegen bis auf die Schlacht bei Kynoskephalä vor mit Berücksichtigung der physischen und historischen Geographie. In 1 (freiwilligen) Extrastunde wurde griechische Mythologie vorgetragen. — Realklasse, im Winter 2 Stunden wochentlich. Der Candidatus probandus Scholtz trug (unter Röslers Aufsicht) neue Geschichte von der Eroberung von Konstantinopel bis zum westphälischen Frieden nach Schmidts Geschichte der neuern Zeit vor.

Geographie, 1 Stunde wöchentlich. Der Collaborator Rösler trug im Sommer Preußen und Afrika, im Winter Australien und Amerika in physischer Hinsicht vor.

C. Tertia. Ordinarius: Oberlehrer Dr. Böhmer.

1) Sprachunterricht.

Lateinisch, 9 Stunden wöchentlich. Der Oberlehrer Dr. Böhmer ließ im Sommer in 3, im Winter in 4 St. den Curtius (7tes u. 8tes B.) übersetzen, trug in 2 St. Syntax nach Zumpt und Spieß (von Anfang bis zu den modis excl.) vor und ließ die zur Einübung der Regeln nöthigen Beispiele aus Augusts Uebungsbuche übersetzen. Den Extemporalien und häuslichen Exercitien ward 1 St. gewidmet. Zu den Memorirübungen, womit die meisten Stunden begannen, wurden geeignete Stellen aus dem Curtius und besonders die Extemporalien benutzt. — Der Collaborator Rösler ließ im Sommer in 3, im Winter in 2 St. Ovids Metamorphosen (3tes u. 4tes B.) übersetzen, übte die Prosodie ein und ließ Hexameter bilden.

Griechisch, 6 Stunden wöchentlich. Der Kollege Dr. Kämmerer ließ in 3 St. Jacobs Lesebuch (2ter Cursus: Länder- und Völkerkunde und Anekdoten von Philosophen)

übersetzen und geeignete Stücke memoriren, lehrte in 2 St. den zweiten Theil der Formenlehre nach Buttmann und widmete 1 St. den häuslichen Exercitien.

Deutsch, 3 Stunden wöchentlich. Der Collaborator Rösler ließ in 1 St. deklamiren (auch Lieder aus dem Gesangbuche, die zum Religions-Pensum der Klasse gehören), in 2 St. trug er nach Heyses Grammatik im Sommer Satzlehre, im Winter Wortbildung vor und gab in denselben St. die häuslichen Arbeiten zurück.

Französisch, 2 St. wöchentlich. Der Oberlehrer Dr. Böhmer ließ in 1 St. aus Hirzels Lesebuch (Biographieen) übersetzen und zum Theil memoriren, übte in 1 St. die Grammatik ein (Verbes irreg. und Anfänge der Syntax) nach Hirzel und ließ Exercitien und Extemporalien schreiben. Eine dieser Lectionen übernahm der Candidatus probandus Scholtz.

2) Wissenschaftlicher Unterricht.

Religion, 2 Stunden wöchentlich. Der Kollege Rehm ließ im Sommer das Evangelium Johannis und die Apostelgeschichte, im Winter das Buch der Weisheit, das Evangelium Marci, den Brief des Jacobus und die Briefe des Johannes lesen und verband damit das Lernen von Bibelsprüchen. Außerdem wurden 10 Lieder aus dem Gesangbuche gelernt und der Luthersche Katechismus ward stündlich repetirt.

Mathematik, 4 Stunden wöchentlich. Der Conrector Dr. Bredow repetirte im Sommer zuerst die Elemente der Geometerie und trug dann den zweiten Theil der Planimetrie nach eigenem Compendium vor. Im Winter repetirte Derselbe die Elemente der Arithmetik und die kaufmännischen Rechnungen und trug dann die Buchstabenrechnung (wobei das Ausziehen der Cubikwurzel gelehrt wird) und die Lehre von den Proportionen nach eigenem Compendium vor. In beiden Semestern wurden die Schüler in Lösung mathematischer Aufgaben schriftlich geübt.

